Respondit Quia dixisti mihi: quando defecerint palme tunc veni Ego autem habens sermonem tuum in animo non veni: quoniam adhuc non compleui opus Et admiratus est senex scrupulositatem obediencie eius Et dixit ei Citius disiunge ab opere tuo vt et ministerium psallendi facias et aquam tibi implere occurres: alioquin citius debilitabitur corpus tuum .xxxij.

Audit etiam de magnis patribus quidam senior nomine Agathon nominatissimus in virtute humilitatis et paciencie Quodam autem tempore venerunt ad visitandum eos fratres Audierunt enim de eo quod magnam humilitatem haberet: volentes probare si vere humilitatis pacientiam possideret dixerunt ei Multi scandalisantur in te pater: quia nimis vitio superbie tenearis et ideo alios despicias et pro nichilo eos habeas: sed et detractiones aduersus eos loqui non cesses Affirmant etiam quamplurimi quod ideo hec agas quia fornicationis vitio tenearis: et ne solus videaris errare idcirco aliis non cesses detrahere Ad hec senior respondens ait Hec omnia que dixistis vitia in me esse cognosco nec possum negare tantas iniquitates meas Procidensque pronus in terram adorabat eosdem fratres dicens Deprecor vos fratres vt intentius pro me misero et multis peccatis obnoxio Christum dominum exorare non cessetis: vt indulgentiam tribuat iniquitatibus multis et malis Ad huc supradicti fratres addentes dixerunt ei Non te lateat etiam quod hereticum te esse quamplurimi affirmare volunt. Hoc cum audisset senior. dixit eis Licet multis aliis peccatis obnoxius sim: tamen hereticus penitus non sum Absit hoc ab anima mea Tunc omnes fratres qui ad eum venerant prostrauerunt se in terram ad pedes eius: obsecrantes eum et dicentes Precamur te abba vt dicas nobis cur tanta vitia nobis dicentibus et peccata de te in nullo commotus es: de verbo autem heretici valde commouisti et abbominatus es nec ferre potuisti auditum Dicit ei senior Illas priores culpas atque peccata propter humilitatem sustinui: vt me peccatorem esse crederetis Nouimus enim si custodiatur humilitatis virtus: magna est salus anime. Nam dominus saluator noster Ihesus Christus cum ei iudei multas contumelias et conuitia irrogassent paciencer cuncta tolerauit: vt nobis humilitatis preberet exempla Inmissi autem falsi testes multa aduersus eum falsa dixerunt: et vsque ad mortem crucis paciencer cuncta sustinuit Ita enim et apostolus petrus predicat dicens Cristus passus est pro nobis relinquens nobis exemplum: vt sequamur vestigia eius. Oportet igitur vt paciencer cuncta aduersa cum humilitate sustineas Nam sermonem quem me hereticum dixistis non potui sustinere et valde abhominatus sum: quia heresis separatio a deo est Hereticus enim separatur a deo viuo et vero: et coniungitur dyabolo et angelis eius Alienatus enim a christo iam non habet deum quem exoret pro peccatis suis: quia ex omni parte perijt